



Dissertatio juridica inauguralis de querela inofficiosi testamenti

<https://hdl.handle.net/1874/343796>

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
QUERELA INOFFICIOSI
TESTAMENTI,
^{QVAM}
FAVENTE DÉO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,
NEC NON
*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*
PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subiicit
GERARD FRANKEN, DORDR. BAT.
Ad diem 18. Julii horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz
Typographi, clc loc xcii.

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoque
V I R O,*

**D. M A T T H Æ O
VANDER BURCH,**

D. de Toldijk &c. Societatis
Indiæ orientalis Præfecto di-
gnissimo, Civitatis Dordra-
cenæ Scabino ac Consiliario
experientissimo, ad Con-
cessum Nobilissimorum, &
Præpotentum Hollandiæ &
West-Frisiæ Ordinum aliquo-
ties Delegato, Fratri suo ex
affinitate conjuncto, pluri-
mum venerando, colendo.

Inauguralem hanc Dissertationem

*Академии
Гарвардской* D. D. D.

*Академии
Гарвардской* GERARD FRANKEN.
*Академии
Гарвардской* Auct. & Resp.

DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

QUERELA INOFFICIOSI
TESTAMENTI.

THESES. I.



Ege 12. tabularum liberam fuisse testandi facultatem, patremque, penes quem, erat jus vitæ necisque, impunè, sine ulla causa filium exhæredare potuisse, constat ex l. 120. ff. de verb. signif. l. 11. ff. de liber. & posth. sed quoniam parentes, novercalibus plerumque delinimentis, instigationibusve corrupti, maligne circa sanguinem suum inferebant iudicium, ideo postea receptum est, ut liberis parentum testamentum inofficiosum accusare liceret. l. 4. ff. de inoff. testam. & pr. inst. eod. quam materiam utpote utilissimam, nec non æquitati maximè congruentem, pro virium imbecillitate enucleandam sumpsi.

Sed ut clarius ac distinctius rem tractemus, pri-
mum quid sit testamentum inofficiosum, quere-

A 2 lam-

4 DISSERTATIO JURIDICA

Iamque exinde natam inquirere, non abs re fore arbitror.

I I.

Testamentum inofficium est, quod ritè quidem, sed tamen inique factum est, præteritis, vel ex hæredatis iis, qui præteriri aut ex hæredari non debuerant. arg. pr. inst. de inoff. testam. l. 3. ff. eod. ita dictum *inofficium*, quia non factum ex officio pietatis, utpote exclusis hæreditate iis, quibus maximè pietatis jure relinqui oportebat l. 2. ff. eod. quid enim æquitati magis contrarium? quām quod parentes (ut sæpen numero fieri solet) quos genuere spernunt, effectæ nubunt testamenti ordinem violento animo confundunt, neque erubescunt ei totum patrimonium addicere, cuius pollicinè jam corpori marcidam senectutem suam substravére.

I I I.

Hinc itaque nata est *querela inofficii testamenti*, ad quam rectè & breviter definiendam, nihil aliud dicendum esse putamus, quam quod sit *petitio hæreditatis ex causa inofficii testamenti*, quamquam nonnulli reperiantur, qui negant querelam esse petitionem hæreditatis, sed remedium præparatorium, quo testamentum rescindatur, ut, hoc impetrato, hæreditas novo Judicio petatur, contendunt: quapropter hanc quæstionem, ad confirm-

man-

ALNATUGURALIS.

mandam nostram opinionem tractare operæ pretium duxi.

I V.

Dixi petitio hæreditatis, idque disertè probatur per l. 21. §. 2. ff. de inoff. test. ubi dicitur, per inofficiosi querelam evinci hæreditatem ab eo, qui hæres institutus esset; per querelam, inquam, non per hæreditatis petitionem, per querelam itaque petebatur hæreditas, alioquin per querelam non evinceretur, sed querelæ judicio finito novâ opus esset hæreditatis petitione: aperte etiam demonstratur per l. 20 ff. de inoff. test. eum, qui de inofficio dicit, non debere, eoque nec jure posse ullam aliam actionem, quam hæreditatis petitionem exercere: item l. 8. §. 8. ff. eod. Papinianus tradit, eum qui dicit inofficium (qui dicit, nunc agendo, non autem qui dixit prius, & vicit testamentum esse inofficium) eum, inquam, non posse hæreditatem petere ultra quam sit ab intestato hæres; ergo, qui de inofficio agit, petit hæreditatem, alioquin dicendum fuit, eum in illo judicio neque totam hæreditatem, neque dimidiā petere posse.

V.

Ex causa inofficii testamenti, sic cum filius ex-hæredatus paterno testamento petit hæreditatem, dicit inofficium esse testamentum patris, hancque petitionis & intentionis suæ causam affert, quod im-

DISSERTATIO JURIDICA

merito sit exhæredatus à patre , & contra officium pietatis ; causa enim petitionis est inofficium testamentum , sic quoque Imperator in l. 34. *Cod. de inoff. test.* querelam vocat petitionem hæreditatis *ex nomine inofficiosi* pro quo Julianus l. penult. in fin. ff. *de honor. possess. contr. tabul.* filium admitti , ait , ad petitionem hæreditatis *ex causa* querele inofficiosi , non *motæ* , sed *movendæ* : ex quibus itaque patet , hic unam saltem actionem unumque judicium versari , quo continetur & petitio hæreditatis & inofficiosi querela ; hæreditatis petitio , tanquam res summa , & principalis , quæ in judicium deducitur , querela , tanquam causa hujus actionis ; non dissimiliter fit , si quis petat pecuniam sibi debitam ex stipulatione , petit pecuniam sibi solvi , quæ petitio est hujus judicij propria , sed petit ex hac causa , quod stipulatione promissa fit , in quo tamen constat , non duo Judicia versari , sed unum duntaxat.

V. I.

Quo autem jure querela introductory sit , D. D. variant ; quidam *lege Glicia* , ut augurantur ex inscriptione l. 4. ff. *de inoff. test.* introductory putant : alii existimant hunc locum mendosum , eo , quod in pandectis nusquam hujus legis Gliciae fiat mentio ; sed , quicquid hac de re sit , non multum refert ; mihi saltem verisimilior videtur sententia , quod homines primo , sine jure certo , cæperunt queri apud judices de inofficiosis testamentis sanguine conjunctorum , ut declarat Valer. Max. lib. 7. cap. 7. de testamen-

to

A

men-

A INAUGURALIS

mentis rescissis, quod cum saepius factum esset, paulatim res in mores abiit; & sic deinde legibus, ac constitutionibus, confirmatam esse puto, ut jam jure certo, & scripto contineatur.

VII.

Inter personas, quibus haec querela datur, primo & merito veniunt liberi inique praeteriti, vel exhaeredati, utpote quibus ratio naturalis, quasi lex quedam tacita parentum haereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando; *I. 7. ff. de bon. damnat. l. 15. ff. de inoff. test.* nec refert cuius gradus, aut sexus sint *I. 1. 3. 5. ff. eod.*, sive sui, sive emancipati: *pr. Inst. de inoff. test. junct. Nov. 115. c. 3.* dum tamen emancipatus sit exhaeredatus, nam praeterito datur bonorum possessio contra tabulas *§. 3. & 5. inst. de exhaer. lib. & l. 23. ff. de inoff. test.* sive nati, sive posthumi *L. 6. in pr. ff. & §. 2. in fin. inst. eod. & l. ult. Cod. de liber. præt.*

VIII.

Cum autem iis duntaxat querela competat, quibus jure antiquo debetur legitima *Nov. 19. c. 1.* sequitur liberos naturales tantum, non existentibus liberis, de inofficio queri non posse: at matris testamentuar spurius tanquam inofficium recte impugnare potest *l. 29. §. 1. ff. de inoff. test.* huc pertinet illud ubique decantatum (*een moeder maakt geen bastaart.*)

IX. Quod

DISSE^RTATIO JURIDICA

IX.

Quod dixi, *præteritis*, hoc intelligendum, à matre, vel ayo materno, qui necesse non habent liberos suos hæredes instituere, vel exhæredare: eorum tamen silentium pro exhæredatione habetur, §. ult. inst. de exhær. lib. si autem pater filium, quem in potestate habet, præterierit, testamentum est ipso jure nullum *pr. inst. eod. l. 7. ff. de liber. & posth.*

Inique, quia ex justis & meritis causis nunquam prohibita fuit exhæredatio *l. 7. ff. de bon. damn.* causæ autem exhæredationis jure antiquo certæ legibus non erant definitæ, sed ab arbitrio pendebant judicium, qui de inofficio cognoscebant; ut testis est *Val. Max. lib. 7. cap. 8.* sed Justin. eas postea certas fecit, & nominatim *Nov. 115. c. 3.* complexus est ad quatuordecim: hinc duplex exorta quæstio.

X.

Primo: an nullas alias ob causas, quantumvis parres vel majores, quam quæ in *D. Nov.* expressæ sunt, exhæredatio sit permittenda? & quamvis plurimi negativam amplectantur sententiam, tamen mihi persuadere non possum, eam fuisse mentem Justiniani in *D. Nov. 115. c. 3.* cuius verba sonant; *ut præter ipsas nulli liceat, ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur;* hisce verbis nihil aliud significatum voluisse puto, quam quod non liceat

ex

*ex legibus antiquis causas opponere, quæ in D. constitutione non continentur, at tales non sunt cau-
sæ, quæ vel majores sunt, vel pares expressis; sed leviores duntaxat, aut dispares: huc facit §. 2. feud.
lib. 2. tit. 24. quæ fuit pr. caus. benef. amitt. verb.
sed quia natura item l. 12. & 13. ff. de legibus: &
ut id sentiam, summa suadet ratio; etenim si v. g.
ipse filius parenti manus non intulerit, sed cum fa-
cile prohibere posset, tamen inferri passus sit; idem-
que finge de injuria; vel si ipse patri insidias non stru-
xerit, insidias autem, cum posset, non detexit; hæc,
aut atrociora filium patrantem, dignum qui exha-
redationis fulmine feriatur, existimo.*

X I.

Altera quæstio in eo consistit, utrum, si exha-
redatio facta sit sine causæ expressione, testamentum
ex D. constitut. sit ipso jure nullum; an jure adhuc
subsistat, atque, ad id rescindendum querelæ locus
sit? Et meo quidem judicio, si quis eam constitutio-
nem diligenter evolvat, testamentum non ipso jure
nullum, sed ad id rescindendum, querelæ usum ne-
cessarium esse comperiet; Imperator enim in D. Nov.
non agit de iis, quæ ad internam testamenti solenni-
tatem, ritumque pertinent, sed de causis, ob quas
facta exhaeredatio justè, vel injustè facta intelligatur;
at injustitia exhaeredationis non reddit testamentum
ipso jure nullum: neque obstat, quod dicitur, *quic-
quid contra fit, quam lex prohibet, id est ipso jure
nullum;* regula hæc quidem procedit, in quibus sim-

B

pliciter

10 DISSE^RTAT^O JURIDICA

pliciter forma rei prescripta est, at non in quibus propter omissionem formę pena addita est; at nostro casu pena non nullitatis, sed rescissionis, quoad institutionem adjecta est, Imp. enim non ita vetat liberos aut parentes præteriri vel exhaeredari sine causā testamento adscriptā, ut si non obtemperatum fuerit, velit testamentum nullum esse, sed nominatim, jubeat rescindi; hisce enim verbis utitur in ipsa Nov. §. 14. *sive igitur*, & paulo post, *si autem hæc omnia* proprie autem non dicuntur rescindi, quæ per se nulla sunt.

X I I.

Secundo loco, liberis non extantibus, quorum semper potior est causa in bonis patris, *I. 14. ff. de inoff. test.* veniunt parentes utriusque sexū, contra testamenta liberorum, cum iis non minus piè, turbato mortalitatis ordine, bona liberorum debeantur, quam liberis parentum *I. 15. ff. & §. 1. inst. eod.* parentibus itaque naturalibus & legitimis datur querela etiam contra fratres vel sorores defuncti hæredes institutos *I. 17. Cod. de inoff. test.* causas autem ob quas parentes exhaeredari aut præteriri permisum est, Justinianus expressit *Nov. 115. c. 4.*

X I I I.

Tertio, competit querela fratribus & sororibus germanis aut consanguineis, si, illis præteritis, scripti hæredes infamiae, vel turpitudinis, vel levis notæ macu-

maculâ aspersi fuerint: §. 1. *inst. de inoff. test.* l. 21.
§ 27. *Cod. eod.* fratribus itaque querela competit, non simpliciter ut *præteritis* sed ut *postpositis* turpi personæ, atque ita odio scripti hæredis; unde intellegitur, si qua honesta persona instituta sit, non alias ingratitudinis causas adversus fratrem quærendas esse, quæ agentem de inofficio summoveant, sed hanc abundè idoneam esse, cur videatur frater non imeritò exclusus; coque, nec possit de inofficio testamento fratris agere: imo, quod plus est, etiam si turpis persona hæres instituta sit, nihilominus ob justas causas in *Nov. 22. c. 47.* expressas, & ab ipso hærede probatas, frater *præteritus* aut exhæredatus, removeri potest *D. Nov.* præterea etiam repellitur, si frater hæreditate exclusus, eadē turpitudine, qua hæres scriptus, laboret *arg. l. 11. Cod. de inoff. test.* non enim rectè quis improbet mores in hærede, quos ipse in sua persona probavit *l. 47. ff. solut. matrim.*

Cognatos, qui sunt ultra fratrem, *Ulpianus l. 1. ff. de inoff. test.* hortatur, ne se sumptibus inanibus vexent, eo, quod in lite de inofficio obtinere spem non habeant.

X I V.

Intentatur hęc querela adversus hæredes testamento scriptos sine descrimine, liberi sint scripti, an vero extranei; *l. 31. ff. de inoff. test.* cum per aliquos liberos non debeat aliis inferri injuria; quoniā notam de jure vocatorum, quam de injuria exhæredatorum vel *præteriorum* agatur; neque ulla dignitas, aut conditionis habenda ratio: quomodo etiam

12 DISSERTATIO JURIDICA

contra Imperatorem hæredem scriptum competit l. 8.
§. 2. ff. eod., etenim eum, qui leges tulit, pari Ma-
jestate legibus obtemperare convenit, minimèque
debet eum lucrari cum privatorum jaætura; quod ne
quidem velle creditur, qui legibus suis sese confor-
mat §. 8. *in fin. inst. quib. mod. test. infirm.* proponi-
tur etiam querela adversus hæredis hæredem, item ad-
versus fiscum, qui bona defuncti, quasi vacantia,
occupavit l. 10. *Cod. de inoff. test.* cum loco hæredis
existens ejusdem juris censeatur, cuius est hæres: item
contra fideicommissarium universalem, cui restituta
est hæreditas, quia loco hæredis habetur l. 1. *Cod. eod.*
quo facit, quod actiones hæreditariæ tam active,
quam passive in ipsum transeant. §. 3. & 4. *inst. de*
fideicomm. hæredit.

X V.

Hactenus, quid sit testamentum inofficium, quibus, & adversus quos querela ex eo competat: notandum tamen venit, præteritis, vel exhaeredatis non ante nasci de inofficio querelam, priusquam adita sit hæreditas l. 8. §. 10. ff. *de inoff. test.*, quo-
niam ante aditionem non nocet exhaeredatio l. 12.
§. 5. ff. *de bon. libert.* fieri etiam potest, ut scriptus
hæres deficiat, ac per hoc testamentum corruat, &
Iocus fiat successioni ab intestato, ut absque querelâ
exhaeredatus ad bona defuncti pervenire possit l. 20.
§. sed cum ff. *de bon. possess. contr. fab.*

X V I.

Cum igitur ante aditam hæreditatem non competit
que-

querela, si contigerit, quod hæres scriptus aditionem differat, ac per hoc impediatur exhæredatus, qui querelam movere vult, nec potest, cogetur adire intra sex menses, si in eadem sit provinciâ, sive in diversâ, intra annum, à morte testatoris computandum; eoque lapsus excludetur: *I. 36. S. 2. Cod. de inoff. test.*

XVII.

Effectus querelæ jure veteri fuit eversio totius testamenti, adeo ut testamento inter legitimum & scriptum hæredem inofficiose pronunciato, non solum rescinderetur hæredis institutio, sed etiam eadem operâ, quæcunque eo testamento scripta essent; ut nec libertates ipso jure valerent, nec legata deberentur *I. 8. S. penult. ff. de inoff. test.* jure novo aliter se se res habet ex constitutione Justin. *Nov. 115.* cuius summa refertur in *auth. ex causa Cod. de lib. præt. vel exhib.*, *ex causa exhiberationis vel præteritionis* (proinde ex causa inofficii) *testamentum irritum fit*, *quod attinet ad hæredis institutionem, cætera namque firma manent*: ratio, quia in institutione duntaxat peccatum est, exhæredando vel prætereundo eum, qui vocandus erat. Per *cætera* intelligit omnia, quæ præter hæreditatem, testamento relinquuntur, legata, fideicomissa, libertates, & si quid his simile; quæ omnia Imperator vult nihilominus valere, quia testamentum ritè conditum erat, nihilque in his testator commiserat, sed tantum contra officium pietatis exhæredatio facta.

XVIII.

14 DISSERTATIO JURIDICA

XVIII.

Non tamen testamentum inofficiosum , quamvis tale pronunciatum , semper totum ab hæredis institutione rescinditur ; interdum tantum pro parte , pro quâ & testator sit intestatus , pro reliqua parte valet testamentum , manetque hactenus hæreditas penè scriptos hæredes ; ut patet ex l. 15. §. 2. ff. *de inoff. test.* ubi filius aduersus duos hæredes agens inofficiosi , si unum vicerit , ab altero autem superatus est , obtinebit hæreditatem pro parte : similiter etiam fit , si frater . qui neque filios , neque parentes , sed solum fratrem habebat , deceperit hoc fratre præterito , duobus extraneis scriptis hæredibus , sed diversi Juris in querelâ perpetiendâ ; puta , uno honestâ personâ , altero turpi ; hic quidem certi Juris est , fratri præterito adversus turpem hæredem querelam solum esse . l. 27. *Cod. de inoff. test.* ita necesse est , fratre de inofficio agente , sic pro parte turpis hæredis rescindi testamentum , ut pro parte alterius consistat , utpote hactenus non rescissum ; quæ species habetur in l. 24. ff. eod. sed hic ergo adversari , quis dixerit regulam Juris , quæ efficit , *neminem in paganis testatum simul & intestatum decederè posse* , l. 7. ff. *de R. J.* respondeo , quod non insolens sit in inofficio testamento , quod quis ex post facto fiat partim testatus , partim intestatus d. l. 24. præterea regula hæc , quid jus dicet ostendit , nos de Judicium sententia loquimur , & quid in proposito valeat , quærimus ; & hoc casu sententiam potius sequimur , quam jus , quia rei judicatae

dicatae standum est , cuius auctoritate utitur is , qui de inofficio egit l. 17. ff. de *inoff. test.* neque sententia certa parte definita ulterius porrigi potest , quo alteri noceat ; l. 8. ff. *in fin. de postul.*

XIX.

Non semper autem tribus illis prædictis personarum ordinibus querela cum effectu indulgetur ; variis etiam casus reperiuntur , quibus querela cessat ; & quidem non aliter hoc remedium competit , quam si unicum ; adeoque necessarium sit , ut nullum aliud existat , per quod ad bona vel omnia , vel partem eorum perveniri posset §. 2. *inst. de inoff. test.* quapropter liberis impuberibus arrogatis querela dengatur , quoniam aliud illis beneficium datum est , quo lex injuriam temerariæ exhaeredationis ab eis amovit , possunt enim quartam petere ex constitutione d. Pii , l. 8. §. 15. ff. eod. sic etiam posthumus præteriti agnascendo rumpunt testamentum , exhaeredatis vero non aliter potest consuli , quam ultimo hoc querelæ adjutorio l. 6. ff. *de inoff. test.* §. 2. *in fin. inst. eod.* & l. ult. Cod. de tiber. præt.

XX.

Secundo : si ex justa causa facta sit exhaeredatio l. 7. ff. *de bon. damn.* & Nov. 115. cap. 3. quamquam hoc casu querela non tam cessat , quam quidem effectu caret : sed quemadmodum Jure optimo factum est , ut his , qui justè queruntur de inofficio ,

16 DISSERTATIO JURIDICA

cioso, consulteretur, proposita querela, ad testamen-
tum rescindendum, ita è contrà, ne quis temere
profiliret ad hanc accusationem, si quis suo nomine
improbè testamentum accusarit, & præsens vietus
sit, visum est, eum poenâ accusationi congruente
coerceri debere, ut quodcumque testamento ei da-
tum sit, perdat, & id fisco vindicetur, tanquam
indigno ablatum l. 8. §. 14. ff. de inoff. test.

XX I.

Tertio: si pater filium exhæredet, non ut ei ob-
fit, sed ut ei consulat, l. 18. ff. de liber. & posth.
quæ exhæredatio aliter dicitur bona mente facta l. 12.
§. 2 ff. de bon. libert. qualis casus extat in l. 16. §. 2. ff.
de curat. furios. potuit tamen pater & alias pro-
videre nepotibus suis, si eos jussisset hæredes esse,
& exhæredasset filium, scilicet prodigum, eique
quod sufficeret, alimentorum nomine ab eis cer-
tum legasset, additâ causâ necessitateque judicij
sui; nec iis legibus derogatum est per Nov. 115,
quæ manifesto loquitur de exhæredatione noxia ab
iratis parentibus facta.

XX II.

Quarto: cessat querela lapsu quinquennii l. 8. in
fin. ff. de inoff. test. cuius cursus non à morte testa-
toris, sed ab aditâ hæreditate inchoatur l. 34. in fin.
& l. 36. §. 2. Cod. eod. ita tamen, ut in quinquen-
nium illud non imputetur tempus, quo quis agere
impe-

impeditus est, ut si dubitetur de testamenti valore, cuius quæstio et si post quinquennium decisa fuerit, non excludetur tamen querelâ, cuius tempus tum currere incipiet; secundum regulam, *contra non valentem agere non currit præscriptio l. 16. Cod. de inoff. test.* non etiam tempus adolescentiae: *l. 2. Cod. in quib. caus. in integr. restit.* alias, qui intra quinquennium jus suum non persequitur, tacitè hæreditatem repudiasse, & remisisse querelam, atque ita in voluntate defuncti acquieuisse videtur.

XXXI.

Quinto: Repudiatione, quæ fit vel expressè, ut si quis testetur, se hæredem pro hærede agnoscere; aut, quod idem valet, se judicio testatoris consentre; quâ testatione tam apertâ nihil dubii esse potest, quin certo querelâ inofficiosi excludatur *l. 17. & l. penult. in fin. ff. de inoff. test.* vel tacitè, si quis cum hærede scripto aliquid gerit, quod nisi is hæres esset, utiliter gerere non posset; ut puta si ex-hæredatus, quive alias de inofficio queri poterat, res hæreditarias ab hærede emat, aut conducat, aut quod defuncto debuit solvat: his factis, qui queri poterat, querelâ excluditur, tanquam qui *Judicium defuncti agnoverit l. 23. §. 1. ff. de inoff. test.* sic etiam, qui accepit legatum testamento inofficio sibi relictum, querelam amittit *l. 10. §. 1 ff. eod.* si vero is, qui de inofficio queri potest, legatum eo testamento alii relictum agnoscat, nequaquam sola hac agnitione querelâ excluditur *Nov. 115. C.*

C

3. §.

18 DISSERTATIO JURIDICA

3. §. sive igitur. unde auth. ex causa Cod. de lib. præt. vel ex hær. quâ constitutione effectum esse apparet ex causâ præteritionis & ex hæredationis , sic distinctas res esse cœpisse institutionem hæredis , & legata, ut possint legata valere , & nihilominus rescindi & inutilis constitui hæredis institutio ; atque ita ex duabus rebus diversis, quarum una sine alterâ esse potest, qui unam probat, non ideo intelligitur probare alteram arg. l. 10. Cod. de prob.

XXIV.

Sexto finitur querela morte ex hæredati ante querelam præparatam ; sic enim jus est , ut præparata transmittatur ad hæredes, atque ita non finiatur decessoris morte; non præparata autem non transmittatur , quod facit , ut una quoque cum illo extinguitur l. 6. §. ult. & l. seq. ff. de inoff. test.

XXV.

Septimus casus , quo cessat inofficiosa querela , est , si testator legitimam iis , qui de inofficio agere possunt reliquerit , sive totam , sive pro parte , sic , ut qui totam habet , ab omni hæreditate excludatur l. 8. §. 6. & 8. ff. de inoff. test. qui partem , agere potest ad supplementum legitimæ conditione ex lege . sive actione speciali per legem 30. Cod. cod. noviter introducta : differtque hæc actio à querelâ inofficiosa , quod hæc quinquennio extinguitur, illa vero ad triginta usque annos duret d. l. 30. junct. l. 3. Cod. de prescript. 30. ann.

XXVI.

XXVI.

Est autem legitima, *portio portionis ab intestato debitæ*; aut, ut explicatus dicam cum Ulpiano & Alexandro Imper. pars ejus, quod ad eum esset perventurum, si paterfam. intestatus deceperisset l. 8. §. 6. ff. de inoff. test. l. 8. Cod. eod. olim legitima erat *quarta* §. 3. inst. de inoff. test. l. 8. §. 8. §. 9. ff. eod. hodie *tertia* hæreditatis pars, *five triens*, si quatuor, vel pauciores sint liberi, *semis* autem si quinque, vel plures Nov. 18. C. 1.; quod augmentum etiam in legitima parentum & fratribus locum habet d. Nov. c. 1. §. 2. cæterum salvâ liberis portione legitimâ, non est parentibus adimendum arbitrium reliquæ hæreditatis, etiam inæqualiter dividendæ l. 8. Cod. de inoff. test. quamvis melius atque consultius fecerint, si distributionis æqualitatem servent inter eos, quos nascendi forte natura fecit æquales: ne bonorum inæqualitas mater sit discordia.

XXVII.

Postremis superioris definitionis verbis, *spectari* debere eam portionem, quæ intestato patrefam. esset perventura admonemur quomodo ea portio æstimari debeat; nam *pervenire* quid dicitur, non quod quis quovis modo capit, sed quod ita capit, ut sit permansurum l. 71 ff. de V. S. hinc intelligimus portionem ab intestato debitam, cuius veteres *quartam*, nos *tertiam* quaerimus, sic æstimari de-

C 2

bere,

20 DISSERTATIO JURIDICA

bere , non ut res singulæ hæreditariæ in eâ compumentur , quarum debeatur tertia , sed ut ante omnia de eâ portione deducantur funeris impensæ , & alienum , libertates seu pretia servorum testamento manumissorum : tum deinde , quod his deductis reliquum est , intelligatur esse illud totum , cuius tertia pars debetur *I. 8. §. 9. ff. de inoff. test.*

X X V I I .

Jure antiquo , non intererat quo titulo , sive institutionis , sive legati , sive fideicommissi , sive donationis mortis causa relictæ esset legitima *§. ult. inst. de inoff. test. auth. novissima Cod. eod.* jure novissimo *Nov. 115. cap. 3, 4, § 5.* non sufficit ad excludendum aliquem à querela , legitimam ei quovis titulo relictam esse , sed ut testamentum ab omni oppugnatione tutum sit , necesse est ut titulo hæredis atque adeo institutionis honoretur.

X X I X .

Hæc legitima portio adeo favorabilis est , ut non tantum debeat esse libera , verum etiam absque mora aut dilatione præstanda filio , eique relinquenda absque ullo onere , conditione vel gravamine *I. 30. Cod. de inoff. test.* quod si onus aliquod appositum fuerit , ipso jure rejicitur *I. 32. Cod. eod.* si res aliena fuerit adsignata pro legitima , & evicta , ex substantiâ patris repletio facienda est *I. 36. verb. Sancimus Cod. eod.*

XXX. Non

X X X.

Non est omittenda illustris hæc controversia; utrum filius legitimam amittat propter inventarium non confectum? & quidem tali casu filium legitimam amittere, atque adeo ad omnia legata & fideicomissa persolvenda teneri, etiamsi eis solutis nihil pro legitima ei supersit, autores sunt multi, ducti quidem hoc argumento, quod hæres qui inventarium non confecit, teneatur etiam ultra vires hereditatis, nec distinguitur an sit suus, vel alienus l. ult. §. 2. ¶ 12. Cod. de jur. de lib. & Nov. I. c. 2. §. 2. *Si vero non fecerit inventarium* (inquit Justinianus) *complebit legatarios & fideicomissarios, quamvis puræ substantię morientis excedat mensuram legatorum datio;* contrariam tamen sententiam probabilem esse judico; quoniam hæc disputatio oriri non potest, nisi cum filius hæres institutus, legatis vel fideicommissis universalibus, aut particularibus gravatus est: (quantum enim ad æs alienum defuncti attinet, inter omnes constat, illud legitimæ præferendum esse l. 8. §. 9 ff. de inoff. test.) sed illud certum est nullum gravamen, præjudiciumve filio inferri in legitima posse, ut *jam dictum est*; quapropter ad objectas leges respondeo, hæredem inventarium non conficientem ad legata præstanda, & fideicomissa teneri ultra vires hereditatis, cum talia sint, que de jure valent, & relinquere potuerunt; sed legata & fideicomissa in præjudicium ac diminutionem legitimæ ordinata, irrita sunt ac nullius

DISSESSATIO JURIDICA

momenti & pro non scriptis habentur l. 32. Cod. de inoff. test. ergo filius ad ea solvenda non tenetur: præterea inventarii confeccio filio à lege non injungitur, quod sanè si necessarium fuisset, æquum erat exprimere, cessare legitimam inventario non concesso, sicut expressè cautum est in falcidia.

X X X I.

Restat quæstio, an filius hæres à patre institutus legitimam accipere, & reliquam hæreditatem repudiare posset? verior sententia est, filium non posse hæreditatem repudiare, legitimā retentā; renuntiatio enim generalis includit omnes partes arg. l. 7. ff. de except. rei judic. at legitima & pars hæreditatis l. 36. §. 1. Cod. de inoff. test. nemo autem potest hæreditatem pro parte adire, & pro parte repudiare l. 1. ff. de adq. vel omitt. hæred. ergo neque filius potest legitimam accipere, quæ est tertia pars hæreditatis Nov. 18. cap. 1. & reliquam hæreditatem repudiare, quod foret absurdum; neque obstat, quod creditor qui renuntiat hæreditati, non impediatur, petere id, quod sibi debetur; latum enim est discrimen inter filium cui legitima debetur, & alios creditores, nam quod aliis creditoribus debetur, non est pars hæreditatis, sed aliud quid ab ea diversum, quare nihil obstat, quominus hæreditate repudiata creditum suum consequantur.

XXXII.

Quoniam legitima *jure naturali* quoad rem ipsam
& substantiam constituta est, l. 7. ff. de bon. damn.
in totum nequaquam tolli, quatenus autem *jus ci-
vile* legitimam quoad quantitatem determinavit,
idcirco ex parte aliquâ minui vel augeri posse, puto.

COROLLARIA.

I.

I.

*Uſusfructus per cessionem extraneo fa-
ctam ad proprietarium revertitur.*

II.

*Jus accrescendi non transit in emptorem
hereditatis.*

III.

Solus Princeps potest indulgere ferias.

IV. Ne-

TRAJECTI AD RHEMUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academicæ
Typographi, etc. Inc. xvi.

IN A U G U S T I S

I V.

L I X X X

Nemo potest esse Judex & Advocatus
simul.

V.

*Si nummi in specie restituantur, tamen
manet mutuum.*

C O R O L A R I A

F I N I S.



Sed et Principis potest mutuum esse.

VI.